



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

18. An liceat petere Sacramentum à malo Ministro extra casum
necessitatis? Et quid, si eum invenio paratum ad dandum? Et quid, si
Minister sit excommunicatus? Et an Sacerdos excommunicatus
absolvendo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. XVIII.

An liceat petere Sacramentum à malo Ministro extra casum necessitatis? Et quid, si eum invenio paratum ad dandum? Et quid, si Minister sit excommunicatus? Et an Sacerdos excommunicatus absolvendo petentem administrationem Sacramentorum, incurrat irregularitatem? Et an sit peccatum ministrare Episcopo exercenti Ordines in peccato mortali, aut Sacerdoti Missam celebranti in peccato? Ex part. 5. tractat. 7. Resolut. 4.

§. 2. AD hoc dubium Azorius 3 tom. 2. lib. 12. cap. 17. quæst. 7. respondet breviter. Primum, non esse licitum petere extra casum necessitatis id à Sacerdote, qui non est obligatus ad danda sacramenta, & non est paratus ad dandum, quia esset inducere eum ad peccatum. Secundum, est licitum petere à Sacerdote ad dandum sacramentum obligato, aut à Sacerdote parato ad dandum, quia tunc non est inducere eum ad peccatum, & potest ipse, si velit, atque etiam debet, contentionem habere. Tertio; in casu necessitatis licitum est petere à quocumque Sacerdote, quia tunc habemus jus petendi sacramenta. Ita Azorius. Unde ego alibi satis probabiliter docui non esse peccatum mortale scandalum accipere Sacramentum à Sacerdote existente in peccato mortali; si illum invenio in loco publico excipientem confessiones aliorum, etiam si possem accedere ad alium Ministrum bonum, quia revera id non est cooperari peccato Ministri, aut illum inducere ad peccatum, cum ipse jam se offerat ad illud peccatum committendum. Et hanc sententiam docet, præter Cabreram & Ledesnam alibi à me citatos, etiam Sotus, quem citat & non improbat Granada in 3. part. D. Thom. de Sacram. contro. 3. tr. 5. disp. ultim. num. 6. in qua fuse pertractat, quando licitum sit sumere sacramenta à malo Ministro sine scandalum peccato.

2. Sed difficultas est quando sacramentum petendum est ab excommunicato, qui non habet à quo absolvatur; & tunc Sacramentum non esse petendum, docet Vasquez opusc. de charit. q. 23. artic. 8. dub. 4. num. 42. Basil. Pontius de Matr. lib. 5. cap. 18. §. 9. num. 63. & Granada ubi supra, num. 8. qui citat Sayrum, quia tunc petitur sacramentum ab eo, qui acquiescens petitioni non potest bene; aut malè administrare sacramentum, sed necessariò malè ministrabit, eo quòd non est in sua potestate absolvi ab excommunicatione, propter quam impeditur ab administratione sacramenti, & tunc petitio habet rationem scandalum activi, quia petit id, quod necessariò malè faciendum est, si fiat.

3. Verùm his non obstantibus (attendas quæso amice Lector) contrariam sententiam probabilem esse existimo, quam docuit Sanchez de Matr. tom. 2. lib. 7. disp. 9. num. 8. & novissimè docet nunquam satis laudatus Hurtado de Mendoz. in 2. 2. disp. 173. sect. 18. §. 249. movetur decreto Concilij Constantiensis & Martini V. quo datur facultas Christi fidelibus, ut communicent in sacramentis cum excommunicato sine scrupulo. Quæ facultas non est in favorem excommunicati, sed aliorum, quia aliis provisum est ne scrupulis ir-

retiantur. Indirectè verò redundat in ipsius excommunicati favorem, quia eo præcisè quòd mihi datur facultas, ut licitè & sine scrupulo possum petere à Sacerdote administrationem sacramenti, datur indirectè ipsi Sacerdoti facultas illud administrandi; quia si ille peccaret in eo administrando, non possem ego licitè cum illo in sacramento communicare, quia esset cooperari illi in peccato. Quemadmodum mihi datur facultas, ut omnes mei commensales possint carnibus vesci diebus interdictis, illa facultas mihi datur directè, ut ego possum quos velim invitare: indirectè verò & consequenter redundat in favorem commensalium, quia non possem ego illo privilegio frui, quin illi possint licitè carnibus vesci, quibus vesci non licet, nisi à me invitentur. Ita non licet Sacerdoti excommunicato tolerato efficere actionem aliquam sacram, nec administrare sacramentum, neque communicare eum aliis, non esse quam, licet, nisi invitetur à non excommunicato. Sicut meis commensalibus non licet vesci carnibus, nisi à me invitentur. At verò licet ejusmodi sacerdoti exercere omnes actiones sacras, quas ego non excommunicatus ab eo petero, sicut licet meis commensalibus vesci carnibus. Si ergo excommunicatus sit sine peccato mortali, aut probabiliter existimet se habuisse contritionem perfectam; aut si illum conetur habere, illi non obest excommunicatio, quò minus licitè possit sacramenta administrare, quoties id petatur à non excommunicato. Quæ clarius constabunt ex ipso decreto Concilij; his verbis: Insuper ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore presentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra præceptum cujuscumque sententiæ; aut censure Ecclesiasticæ à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, &c. Cum igitur hæc verba nullam omninò actionem sacram mihi interdicannt cum excommunicato tolerato, ita ut omnis scrupulus mihi evellatur, concluditur aperte excommunicatum, si præcisè consideretur vis excommunicationis, non peccare, quando illa administrat à me rogatus; si enim ille peccaret, non possum ego cum illo communicare. Quapropter sine ulla causa possum ego petere sacramenta ab hujusmodi excommunicato, si aliunde prudenter existimo illum non esse in peccato mortali, aut se Deo reconciliare per contritionem perfectam. Ratio est, quia illa excommunicatio non me præstringit, neque me obligat, ut abstinere à suscipiendo sacramento ab ipso, neque ipse peccat, si præcisè consideretur vis excommunicationis: unde non est opus alia occasione. Et hæc omnia docet Hurtado, ubi sup. quæ sunt valde notanda. Egitur in tali casu dicendum est contra Granada, loc. cit. dictum Sacerdotem excommunicatum absolvendo petentem administrationem sacramenti non incurere irregularitatem.

4. Non desinam etiam hic adnotare, moraliter loquendo non esse peccatum ministrare Episcopo exercenti Ordines in peccato mortali, aut Sacerdoti celebranti Missam, quando alioqui possent prædictus Episcopus & Sacerdos ea munera peragere bene, si contritionem elicere, aut confiterentur, quia id non est inducere ullo modo ad malum, sed invare ad actionem per se bonam, quam tamen alius propter suam culpam malè exercet; ita Granada ubi supra, n. 10. qui citat Suar, & Hen-

Sup. hoc cursum ad medium, §. Sed ego, Resol. seq. &c.

INTION. Opera Tom. 10 II E III

riquez, quibus adde Ochagaviam *tr. de Sacrament. in genere, quest. 24. num. 5.* qui tamen hoc limitat, quando vitare commodè non potest ministerium illud, ut quia famulus expelletur à domo, vel quia causabitur scandalum, si Minister se excuset à ministrando: sed hæc ferè semper evenient: ergo, &c.

RESOL XIX.

An sit licitum à Ministro excommunicato non solum tolerato, sed etiam à non tolerato ab Ecclesia, id est nominatim denunciato, vel manifesto percussore Clerici, petere sacramenta?

Et an talis Minister, si in extrema necessitate ministrat Baptismum, & Pœnitentiam, peccet, & fiat irregularis?

Et quid, si talis Minister excommunicatus sit ab Ecclesia toleratus, & sit tuus Parochus?

Et quid est dicendum, si non est tuus Parochus, nec ad ministrandum paratus?

Et notatur licitum esse sine ulla necessitate petere Sacramentum à quovis excommunicato tolerato, dummodo non sit aliud impedimentum præter excommunicationem; nec peccare Ministrum istum, dum ad petitionem alterius ministrat, secus verò si ipse se invitaret. Ex part. 10. tr. 11. & Miscell. 1. Resolut. 64.

Ref. hæc invenitur in tom. 2. tr. 3. Refol. 16.

§. 1. **E**A, quæ dicta sunt in superiori Resolutione, procedunt, ut dictum est, in ordine ad petenda sacramenta à malo Ministro, existenti scilicet in statu peccati mortalis. Sed quid dicendum de Ministro, excommunicato non solum tolerato, sed etiam non tolerato ab Ecclesia, id est, qui nominatim est denunciatus, vel manifestus percussor Clerici, ut nulla tergiversatione possit negari? Dico in casu extremæ necessitatis licet ab isto petere sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ. Ratio est, quia periculosissimum est sine his sacramentis ex hac vita discedere: unde non debuit ullus Minister aliquo modo idoneus in hoc articulo excludi. Hinc etiam fit, ut talis Minister neque peccet, (si talem, ut absolvat, contritionem concipiat) neque irregularitatem incurrat.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. Refol. 60. signanter in §. 2. sed lege etiam §. 1. & supra in Refol. 15. §. 1. paulo ante finem à veris. Vnde non est.

2. Verùm difficultas est de sacramento Eucharistiæ per modum Viatici: & in tali casu non posse à dictis Ministris peti, docet Lessius in 3. part. questione 64. articulo 6. dub. 3. num. 15. & alij. Sed ego contrarium docui; & me citato novissimè docet Leandrus de Sacrament. tom. 2. tractat. 7. disputatione quarta, quest. 22. cum aliis. Imò non desieram hic observare cum Magistro Serra, in tertia parte, quest. 64. articulo 6. dub. 2. non desesse, qui dicant, si aliquis esset sibi conscius peccati mortalis, & non possent sibi alia sacramenta conferri, quam ea, de quibus recipiendis nullum est divinum præceptum; posse ea suscipere in extrema necessitate à Ministro non tolerato, ut possit per ea justificari, & fieri ex attrito contritus, si fortè solam attritionem habeat; credendum est enim id meritò placere Ecclesiæ, ut tali necessitati subveniatur. Et idem Hurtadus de Sacramentis in genere, disputatione quarta, difficultate 12. tenet, posse à dictis Excommunicatis accipi Sacramentum Extremæ-Uktionis, quando non potuit suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, neque Eucharistiæ.

Sup. hoc in Refol. 2. not. præcedit in ejus §. ult. veri. Primus, & in aliis ejus not.

3. Sed quid dicendum, si Minister ille excommunicatus, sit ab Ecclesia toleratus, (id est, si non est denunciatus nominatim, aut manifestus Clerici percussor) & sit tuus Parochus? Potes ab eo liberè sacramenta petere, non solum tempore necessitatis, aut præcepti, sed etiam ob magnam utilitatem spiritalem: modò alterius Ministeri non sit tibi facilis copia: Ita Sotus, & alij passim. Ratio est, quia iste Minister quamdiu ab Ecclesia toleratur, non est tibi magis vitandus, quam si non esset excommunicatus. Unde si sit tuus Parochus, potes ab illo petere sacramenta, & etiam cum cogere administrare; nam habes jus petendi: ergo ipse potest tibi sine omni peccato administrare, si velit: nemo enim obligatur ad aliquam actionem, quam sine peccato nequit obire. Sufficit autem, ut in eo casu concipiat contritionem, & procuret absolutionem à Censura, si potest: quod si non potest, permittitur sacramenta administrare, nec contrahet irregularitatem. Secus, si facile poterat interim absolvi. Adverte tamen, talem Parochum non se posse offerre, aut ingerere; tunc enim graviter peccaret, & irregularis fieret. Ratio est, quia non potest administrare, nisi subdito petente, & urgente.

4. Petes, an possim ob hujusmodi causas etiam petere sacramenta ab eo, qui non est Parochus; tamen excommunicatus est, & toleratus? Respondendo, non posse me petere, nisi ipse interim possit obtinere absolutionem Censuræ, vel nisi sit extrema necessitas. Ratio est, quia non possum petere aliquid ab alio, quod ille sine peccato non potest mihi prestare. At ille Sacerdos non potest sine peccato sacramenta administrare, nisi excuset extrema necessitas, vel in potestate ejus sit interim obtinere absolutionem. Quidam tamen existimant, si iste Sacerdos sit expositus, actu Confessionis aliorum audiens, vel Eucharistiam administrans, posse me accedere; quia in hoc casu non censetur petere. Sed Lessius, ubi supra tenet contrarium, præsertim si agatur de Confessione, quia qui accedit confessurus, manifestè petit, & exigit sibi impendi absolutionem; unde intercedit hic saltem aliqua inductio, & petitio ad hunc actum individuum, qui est necessariò peccatum. Idem videtur de Communionem, etsi minor sit ratio.

5. Sed ego affirmativam sententiam puto esse probabilem, & fatetur ipsemet Lessius. Et tandem Granadus in 3. part. contr. 3. tract. 5. disput. ultim. num. 8. sic ait: Si Minister sit excommunicatus toleratus; sed non proprius Pastor, nec sit ad ministrandum paratus; non videtur, licere illum inducere ad præbenda sacramentà, in quibus exerceat Ordinem: quia sic fieret Minister irregularis; & qui petit, foret causa non solum peccati, sed etiam magnæ penæ Ecclesiasticæ, scilicet irregularitatis. In casu autem necessitatis extremæ, id est, in articulo mortis posset sine dubio inducere ministrandum, quantumvis non esset paratus; etiam extrà hunc articulum liceret petere, cum adesset magna aliqua utilitas; quia ipse Minister novit suum malum statum, & voluntariè denotat culpam & penam, quæ illi imminet, si ministrat. Ita ille, & ego.

6. Notandum verò, quod Sanchez, lib. 7. de Matrimonio, disput. 9. num. 8. latè probat, licitum esse sine ulla necessitate petere sacramenta à quovis excommunicato tolerato; dummodò non sit aliud impedimentum præter Excommunicationem; Ref. 17. &c.

Sup. hoc fit præ Ref. 16. §. Vnde à principio.

Sup. hoc in §. Verum, Ref. præcedit & in fine §. 1. hujus Ref. pro articulo mortis, & magis latè in to. 5. tr. 5. Ref. 28.

* Sup. contento in hoc §. ult. lege supra doctrinam Resolut. 15. à principio usque ad §. ult. signanter prope finem §. 1. & §. Notandum, & signanter Ref. 17. &c. nec